QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS III. APRILIS, MAGISTRO NICOLAO IABOT DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An febribus ante septimum icterus malum?

CONTINGVNT iudicationes abortiuæ & insidiosæ, si humor viam vi sibi faciat παρεκρηγνύμενος; dimidiatæ & parum fidæ, si quid intus restitet ac relinquatur; perfectæ & salutares, si Augiæ stabulum ritè perpurgetur. Statis id negotium conficitur temporibus, variáque est variorum dierum actio, alij indicant, judicant alij. Iidem tamen possunt esse jndices judicésque, fausti & funesti, seruare & interimere. Impares potentiùs decernunt & frequentiùs. Quapropter meritò censentur religiosi, neque per eos catharticum exhiberi fas, præstat quiescere. Febris, si alio quàm impari remiserit dimiseritve, solet reuerti. Præcellit jnter impares septimus, & in morbis vtránque paginam facit, regiâ in hominem ἐπ᾽ ἀμφότερον potestate. Tyrannj exercet jmmanitatem sextus.

MORBI; diuturni quidem, alij septimestri soluuntur spatio, alij septennio; acuti verò die septimo plerúnque iudicantur; tertiana septem periodis. Habet, inquam, dies septimus jus vitæ & necis: verùm Rex mitis & beneficus vitam largitur sæpius. Icterum si in febribus ἀφορήτως proferat, bonum augurium est: quanquã non semper. Fieri εὐγνώμως bonum, fieri cum hypochondriorum duritie, aut citra coctionis signa, id verò malum. Signa in vrinis apparent & deiectionibus, in vrinis certiora. Si rubram habent quarto die nubeculam, futuram ostendunt judicationem septimo: si albam & læuem hypostasin, morbi celeritatem & securitatem pollicentur: si subsistunt & repentè fluere desinunt, sudores, qui ex eadem gignuntur materia, erupturos. Bene & feliciter, si tempori. At crisis præcox & immatura res est plena suspicionis & periculi, neque Naturæ opus censeri debet, sed morbi.

AVRIGINOSOS facit bilis per vniuersam cutim suffusio. Qualis color, talis humor. Quibusdam naturalis cernitur, vt eam fœditatem non sit facilius elui, quàm Æthiopem, cui genti nigrum semen esse falsò proditur, dealbarj. Cuiusmodi homines non admodùm sunt flatulenti. Alijs ex morbo accidit, & oculos inquinat potissimùm, tunicarum tenuitatem densitatémque felle subeunte. Ab hepate, aut vesiculâ sub hepate reconditâ, quæ bile delectatur non alitur, tota mali labes ad extimam cutim regurgitat. Obstructio, inflammatio, scirrhus colorem producunt σιδηροειδῆ. Interdum alimenta, medicamenta, venena eandem vim habent, quâ fiunt ἐρυθρόχλωροι.

ICTERO quoque excretionem in febribus biliosis sæpe molitur Natura, quemadmodum & sudore copioso, vtrúnque ratione non absimili: materia quippe, si tenuior sit, abit in sudores; sin paulò crassior, in cute subsistens abscessum facit, neque tamen, vt in erysipelate, tumorem: vtrúnque cum rigore & sine rigore: vtrúnque bonis ægri rebus, si die critico, si præeuntibus signis coctionis, si cum euphoria superuenerit. Quæ si desiderentur, aurigo symptomatica est. Et sudores quidem vt quarto & sexto die febricitantibus minantur sinistrum quid; sic leuamentum afferunt, si tertio manare cœperint, si quinto, si septimo, si alijs ad vsque quadragesimum criticis, qui terminus est acutorum vltimus. Arquatus verò ad salutem festinat lentior, & iustum præuertit tempus, si ante diem septimum emicet, vt partus ante septimum mensem non editur vitalis.

NEQVE ante id temporis erumpens morbus regius apparet impunè, vt neque in orbe suo Sol ferrugine tinctus, aut in aëre mutantes regna cometæ. Τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφαίνεσθαι. Hæmorrhagia in acutis juuat, sed non omnis, quarto die obueniens spem deludit. In causo etiam diarrhœa opitulatur, sed non initio morbi. Eo tempore neque natura, neque medicamentis naturæ minister medicus quicquam mouet, sed humoris potiùs pepasmum hic expectat, illa vrget. In augmento se prodit, in statu perficitur. Tùm *Momento cita mors venit, aut victoria læta*. In febribus tertius dies, inter impares primus, arquatum nequit protrudere; quinto se exerens vnà cum singultu lethale; sexto etiam rigor δύσελπι; quartus, vt inter indices principem locum tenet, sic inter decretorios postremum, sæpius ater & nefastus.

Ergo febribus ante septimum icterus malum.

Asserebat IOANNES TOVRNIER Barralbanus, A. R. S. M. D. C. XIV.